



Beja

76

2

38

2132

neb 1332409

+
B. G. 10.

Christianissimo potentissimoq; prin-
cipi Henrico huius nominis pri-
mo Lusitanorum regi Al-
varus Honius Leo S.D.



Cum ex toto ferè orbe terrarum mittantur ad
summum Pontificem commentarij, in quibus ma-
gna illa è perdifficilis quaestio de anni re-
stitutione motusq; Lunaris aequatione, perti-
nenter, voluisti maxime potentissimeq; prin-
ceps, ut ego quoq; dolium meum versarem.
Quamquam vero sentio, quam tenui sim inge-
nio, quamq; parum prestare possim in hac
re, malui tamen in opinionis si qua de me
est, periculum venire, quam imperium tuum
detractare. Itaq; tentavi, quam potui facillimum
certissimumq; modum atq; ordinem prescribere,
quo res tam ardua è controuersa, tamq; grauis è
laboriosa componeretur. An id effecerim, nescio.

putabo tamen effecisse, si tu Laborem meum
probaueris rex amplissime. Nam ut es co
Lumen & propugnaculum totius Christianae
religionis, ut exemplar omnium virtutum, quot
quot in optimo sanctissimoque principe optari
possunt, ut omnium bonarum literarum non
solum amantissimus, sed etiam peritissimus ita
iudicio quam maxime excellis. Christus opti
Max. te diu seruet incolumen.

De restitutione anni & calendarij Al-
uani Nonij Leonis medici regij
Liber.

quàm sit necessaria correctio
anni Lunarij qz circuli

C. 1

Cum omnia, de quibus debemus esse solliciti, in du-
obus potissimè consistant, in ijs, quæ pertinent
ad animã, atqz ijs, quæ ad conservationem vi-
tæ, utraqz verò debeant temporibus suis mi-
nistrari, sanè si alienis ministrantur, necesse
est, inde plurimè turbationis oriatur. Rur-
sus cum ad animã spectent res sacræ, ad vi-
tæ conservationem victus & medicamenta,
quorù ille præcipuè à cultu agrorum, hæc à
remedijs paratis aut exhibitis in tempore de-
pendent; cum etiam sit annus magnopere va-
riatus & tempora mutata, omnino sequitur, ut
multæ ex rebus sacris celebrentur alieno tem-
pore non sine magnis incommoditatibus,

multa vero ex præceptis medicinae & agricul-
turae, quanquam certissime verissimèq; tradita
à veteribus, usu tamen & experimentis fal-
sa comprobentur. Ut enim dicam de rebus
sacris (quarum præcipue causa nostra insti-
tuta est oratio) quis dies insignior, celebrior,
sanctior, plenior mysterijs quàm Pascha?
Hic primò quidem præceptis Dei opt. Max;
tum testimonijs summorum Pontificum, calendisq;
et suffragijs conciliorum, postremo vocibus &
præconijs sapientium virorum inter omnes dies festos
principatum obtinet. Ab hoc seu fonte est ori-
gine multa sacrificia dimanant: ad hunc, veluti
quandam regulam, semper diriguntur. Atqui
hic ipse dies celeberrimus & sanctissimus ra-
tissime colitur suo tempore. In eo libro, qui
inscribitur Exodus, præcipit Deus Moysi
& Aaroni, ut ab eo mense, quo esset Egypto

educurus populum Hebraum, inchoarent an-
 num, e' vespere decimi quarti diei agnū quisqz
 immolaret: is vero dies ut sanctissimus sempiterno
 ritu coleretur. Idem iubet in Levitico
 e' in Libro Numerorū. Itaqz legimus Iosiam
 decimo octavo anno, a quo primū regnare coe-
 pit, pascha magnis sumptibus atqz ceremo-
 nijs edixisse in eundem diem. Constat vero,
 mensē, quo est liberatus Israël, fuisse in-
 ante vāre: iubente Deo, ut servaretur mensis
 novarum frugum e' primus verni temporis: e'
 scribente Iosepho in libro tertio de Antiqui-
 tatibus Iudaicis ad hunc modū. τῷ δὲ μηνὶ
 τῷ ξανθικῷ, ὃν νιστάρ πορ' ἡμῖν καλεῖται,
 καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ, τεσσαρεσκαίδεκάτη
 κατὰ σελήνην, ἐν κρισίῳ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος,
 τούτῳ ἴσθ' τῷ μηνὶ τῷ ὑπ' ἀιγυπτίους δου-
 λείας ἠλευθερώθημεν, καὶ τῆν δυοίαν, ἢ το-
 τε ἐξιόντες ἀιγύπτου δύοσι προζῆπορ ἡμεῶν;

παρὰ δευτέρου, δι' ἑτοῦ ἐκείνου δὲ εἰς ἐνόμους.
 quibus Verbis declarat, decima quarta Luna men-
 sis Xanthici, qui apud Hebraeos dicitur Nissân,
 idest, anni principium, sole opposito in Ariete,
 Pascha solitum esse immolari annis singu-
 lis. Quis autem nescit, quanquâ vel summis
 Labijs astronomiâ degustant, primû Mensis men-
 sem incipere sole ingrediente Arietem: Nam
 opinio Eudoxi & Metonis atqz aliorû, qui pu-
 tabant æquinoctia & solstitia fieri in octavis
 partibus signorû, iandiu est explorata. Unde col-
 ligitur errare, tum, qui Nissân interpretantur Mar-
 tium, tum, qui Aprilem. Nam utraqz istorum
 sequitur motum Solis: Nissân vero cursum Lunæ:
 quæ Vana est, mutabilis, inconstans: & neqz noua
 neqz plena certo posita respicit æquinoctium:
 sed nunc simul cum ipso, nunc prope est, nunc
 longè distat. Quò fit, ut Nissân neqz sit

Martius, neq; Aprilis, sed partem occupet utriusq;. Atq; hinc perspicuum est, cum menses Hebræorum referantur ad conversionem Lunæ, nostri ita sint descripti, ut in conficiendo anno ad solis motum quadrent, nequaquam alteros cum alteris convenire. Id quod etiam in mensibus Atheniensium contingit. Neq; enim ἐκτομβδιαιρὸς quod plurimi tamen arbitrantur, est Iunius: neq; μετὰ ζεττῆναιρὸς Iulius: cum ille accipiat partem quandam Iunij, quandam Iulij: hic Iulij partem et partem Augusti. quæ ratio in cæteris mensibus Atheniensium observatur: scilicet apud quos Luna, ut apud Hebræos, auspiciabatur mensem et finiebat. Ergo ex sacris literis et Iosephi interpretatione concluditur, Hebræos fuisse primū mensem, cuius plenilunium incidet die æquinoctij, aut proximè post ipsum:

De restitutione anni

quo die necesse erat solem esse in Ariete.
Unde patet error Genesij Sepuluedas, qui pu-
tauit illis fuisse primum mensem, cuius no-
ua Luna sequeretur Vernum aequinoctium,
non aliter quam Veteribus Romanis primus
erat is, cuius noua Luna post brumam in-
cidisset, quamq; Atheniensibus is, cuius noua
Luna fuisset post solstitium aestiuum. Cum
enim oportuisset, decima quarta Luna primi
mensis Hebraeorum solem esse in Ariete,
ut autor est Iosephus, non potest Vera esse
sententia Genesij. Nam, si cuius mensis no-
ua Luna esset duos aut tres dies ante ver-
num aequinoctium, cum mensem ab anni
principio excluderent Hebraei, plane foret ne-
cessarium, ut à noua Luna, quae futura esset
vigesimo sexto die aut vigesimo septimo post

equinoctium, annu' inchoarent. Atqui deci-
 mo quarto die eius mensis sol est ultra deci-
 mam partem Tauri, quo signo haud licebat
 illis pascha celebrare: ut constat ex sacris
 literis, & Iosepho, atq; ex Socrati historia.
 Quare non est similis ratio Hebraeorum, Athe-
 niensium & Romanorum in constituendo
 anno. Simplicius quidem sic scribet de hac
 re. ὅσα δὲ ἡμεῖς ποιοῦμεθα ἀρχὰς ἐνιδυτοῦ
 μὲν περὶ θερινῶς τροπῆς, ὡς Ἀθηναῖοι. ἢ
 περὶ μετοπερινῶς, ὡς οἱ περὶ Ἰῶ καλοῦμεν
 Λαῖαρ. ἢ περὶ χειμερινῶς, ὡς οἱ Ρωμαῖοι.
 ἢ περὶ ἑαρινῶς, ὡς Ἄραβες καὶ Παρδοκηννοί.
 At nos hoc addendu' putamus, veteres Roma-
 nos non à bruma, sed à noua Luna, quae
 brumam sequeretur, Athenienses non ab aequi-
 no solstitio, sed à noua Luna, quae proxima
 illi foret, Hebraeos non à verno equinoctio,

De restitutione anni

sed à noua Luna, quæ futura esset plena aut ipso æquinoctio aut post ipsum, annum fu-
isse auspicator: eumq; habuisse primū men-
sem anni, quem primū habuissent Libertatis.
Nam prius inibant annū ab autumnū æquinoctio,
quoniam crederent tunc mundum incepisse,
et quidem probabili ratione. Si enim SOL
primum apparuit meridie, non ad occasum
vel auroram, si hominem creauit Deus non
adulescentem, sed adultum, si item cætera anima-
lia iam perfecta, si etiam fruges & plantas
iam maturas, Verisimile erat, neq; Vere, neq; æstate,
neq; hyemeq; sed autumno creatum fuisse
mundum: Videlicet eo tempore, quo vniuersa,
quæ nascuntur e terra, summā maturitatem
sunt adeptæ. Postea Verò, cum Pascha insti-
tutum decima quarta Luna primi mensis esset

imago eius, quo mundum renasci oportebat, &
 e servitute daemonum se afferere in Liberta-
 tem humani genus, par fuit, ut abolito
 vetere principio anni novum sumeretur.
 Neqz enim quia tunc esset primus mensis
 precepit Deus Pascha observari, sed quia tunc
 precepit observari, voluit ut is esset primus
 mensis. Hinc cum dies Pascha sanctitate ac
 miraculis reliquos exuperet, cum plenus sit
 figuris & mysterijs Christianae religionis, id
 semper curae habuerunt maximi pontifices,
 ut legitimo tempore coleretur: & quemadmodum
 Christi religio est una apud omnes gentes,
 sic quoqz, ut apud omnes servaretur eodem
 die. Verum quannus in id plurimum opera
 studijsqz contulissent, non tamen potuerunt tam
 pie huius festi ita constituere, ut ab omnibus

De restitutione anni

probarentur. Itaque missis Literis in vniuersum orbem, tandem auctoritate Syluestri summi pontificis e' opera Constantini Magni congregatum est concilium Nicaeae, tanta doctissimorum sanctissimorumque hominum frequentia; tanto rerum apparatu e' maiestate, ut inter omnia concilia, quae vnquam extiterunt, magnam sui nominis memoriam reliquerit. In eo multis inter astronomos Aegyptios, Graecos, e' Romanos ortis contentionibus, multisque verbis e' disputationibus vltro citroque habitis, demum in hanc sententiam omnes abiere. Primo, ut vernum aequinoctium, quod tunc erat 12. cal. Aprilis, perpetuum maneret eodem die: is vero mensis Pascha inseruaret, cuius decima quarta Luna foret eo ipso aequinoctio, aut post ipsum: illa vero Luna ne coleretur Pascha more Hebrae.

orum sed proximo die Solis. Hoc enim Christus
 resurrexit: hoc mortem vicit: hoc de inferis
 triumphavit: hoc gaudet mundus et exhi-
 laratur: atque ideo vocatus est dies Domini.
 quod si hoc ipso die decima quarta Luna
 incidisset, ut tunc pascha in diem Domini
 sequentem transferetur. Deinde autem sta-
 tuere in gratiam huius mensis, ut numerus,
 qui vocatur aureus, quiq; est inuentus no-
 uilunij et plenilunij indicandis, ab eo anno,
 qui erat tercentesimus vicesimus tertius post
 Natalem Christi, caperet initium sui circuli:
 ut sic firmato equinoctio, tum etiam nova
 Luna primi mensis, omnis controversia tol-
 leretur, atque omnis occasio erroris. Hinc
 sequebatur, ut cuncta novilunia primi men-
 sis intra nonas Martias et 6 Id. Aprilis,
 plenilunia autem intra 13 Cal Aprilis et 13.

De restitutione anni

Cal Maij clauderentur, Pascha vero quaeretur ab ii Cal Aprilis usqz ad .7. Cal Maij, hoc est, à decima quarta Luna primi mensis usqz ad Vigesimam primam. Huc in Concilio Niceno sanctissime prudentissimèqz. sunt autem ab eo tempore omnia in hodiernum diem sarta tecta observata. Verum in ijs viri illi doctissimi magis sui temporis rationem, quam futuri videntur habuisse, magisqz consuluisse praeteritis erroribus, quam futuri providisse. Neqz enim aequinoctium illud potuit diu durare eo die, quo est constitutum, neqz ausens ille numerus perpetuo noviluniam monstravit, illud ob Solis cursum; hic ob motum Lunae: quo utiqz planeta reliquit diem, alter aequinoctij, alter novilunij regrediendo ad tempora antecedentia. Quo effectum est, ut nunc voluamus in eodem

luto. Nam Sol decem dies, Luna quatuor e
interdum quinque, ut postea ostendemus dis
cessit à loco suo. quorum errorum alter in
de emanavit, quia non advertere viri illi,
quanquam eruditissimi, annum esse longio
rem, quam Solis cursum: alter, quia credide
re Lunam, post eam circuitiorem, quae ab
soluitur 19 annis, redire ad suam sedem,
ac per eadem vestigia rursus incipere se
cundam. quorum illud si advertissent, hoc au
tem sibi non persuasissent, plane licuisset,
tam futuri malis remedium, quam praece
dentibus invenire. Hinc sacer ille dies
sollemnis e sanctissimus rarissime celebratur
suo tempore: hinc quaritur, non quidem sem
per à decima quarta Luna usque ad vicesi
mam primam, sed frequenter ad vicesimam
sextam, contra Dei praeceptum e sacrosandam

autoritatem pontificū e' Concilij Nicæni. Ac
cedit illud etiam, quod septuagesima, dies
cinerum, Ascensio Domini, e' cætera festa,
quæ dicuntur mobilia, cum pendeant à
Pascha, necesse est, ut qui error commit
titur in hoc, ad illa etiam redundet. quid?
quod non modò Vernum æquinoctium est
extra suum locum, sed etiam autumnale
e' utrunq; solstitium. quid? quod uniuersi
menses alieno tempore incipiunt, ac desi
nunt alieno. Nam, ut de mensibus loquar,
qui cardines temporum consequuntur, anno
post Christum natum 323 incepit Lanu
arius 11 die post brumam, at nunc 22, A
prilis 12 post æquinoctium, nunc autem 23,
Iulius 10 post solstitium æstiuum nunc 21,
october 9 post autumnæ æquinoctium, at nunc

19. Ac similiter se habent ceteri menses.
 Hinc Decembris occupat partem veri Ianu-
 arij & Ianuarius Februarij itidem Mar-
 tij Februarius atq; eodem modo proceden-
 tes subsequentium. Ut enim æquinoctia &
 solstitia remeant decem dies, ita singuli
 menses totidem postponuntur. Prætermit-
 to, quòd dies, qui nunc Lunæ Marti &
 Mercurio assignantur, non rectè assignan-
 tur: quòdq; reliqui etiam mutare debent
 appellationes suas, alijs in alios transun-
 tibus. Hæc quidem accidunt incommoda re-
 bus sacris & diuinis ex neglectu motuum
 Solis & Lunæ. Quid nunc dicam de ijs,
 quæ pertinent ad medicinam & agricul-
 turam duas artes maxime necessarias ho-

De restitutione anni

minum vite e' saluti. sane menses, ut lo-
ca, ita mutare naturam suam. Quippe
Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis e'
Maius calidiores sunt, quam debeant, Au-
gustus, September, October e' Nouember fr-
gidiores. illi enim ad solstitium aestiuum
magis accedunt: hi vero ad hybernium. Itaqz
multi ex medicis tum Graecis, tum Latinis,
multa literis prodiderunt de medicamentis
certo tempore vel parandi, vel exhibendis,
qua propter errorem anni mensiumqz va-
riationem, cum essent tunc vera, nunc usus
quotidianus falsa esse, demonstrauit. Atqz,
ut aliquid etiam dicam de agricultura. M.
Cato ille senior, Columella, Palladius e' ceteri
qui rem rusticam monumentis suis illu-

strarunt, quaedam præcepere facienda in-
 unte mense, alia medio, alia desinente,
 quaedam etiam tam angustis terminis
 coardarunt, ut non nisi circa calendas cer-
 to numero definitas, aut nonas, aut Idus
 fieri iuberent: tanquam alijs diebus minus
 rectè, aut omnino male agerentur. At,
 si nunc menses sunt alia temperie præ-
 diti, quàm tunc, si decem diebus nostræ
 Calendæ, nonæ atq; Idus discrepant ab ijs,
 de quibus illi sunt loquuti, quomodo non
 peruectetur magna pars agriculturæ. Cumq;
 hæc mala contingant hi artibus ex errore
 anni, maiora etiam eueniunt ex falsitate au-
 rei numeri. quàm enim fuerit periculosum
 ad hominum salutem, si in venæsectionibus

De restitutione anni

purgationibusq; non caueatur prima Luna,
tanquam sit vetus & senescens, quarta vel
quinta caueatur, tanquam sit prima?
Item quam noxium ad agriculturam, si
quæ debeant fieri crescente Luna, ea fi-
ant decrescente, & contra quæ decrescente,
ea crescente peragantur. Sed hæc, quæ
diximus, quanquam magna, parvi tamen vi-
dentur facienda, præ ijs, quæ sunt futura,
nisi dicti errores extirpentur. Serpens namq;
in immensum, quantoq; magis vagabuntur,
maiora incrementa capessent. Ipsa enim sa-
cra, de quibus modo diximus, non vno men-
se, vt nunc, sed totis sex mensibus, sed integro
ferè anno dies suos antevertent. Ipsæ hiber-
næ feriae repredientur ad æstivas, æstivæq;

ad hybernas: contrarijque menses ad contra-
 rios recurrent. Quae vero auctores, etiam
 nouissimi, scripsere de re rustica, quaeque di-
 uisere per singulos menses et dies veniet
 tempus, cum omnia pro falsissimis habe-
 antur. Nam, quae illi iubent fieri, exempli
 causa, Martio, regrediente hoc mense
 ad Decembrem, et ex consequutione Iu-
 nio ad Martium, qui possint commo-
 de fieri? An non Decembri suauiter spi-
 rabunt Fauonij eritque tunc
 Ver purpureum, Varios tunc flumina circum
 Fundet humus flores?
 Martio autem
 Arescent herbae, et caua flumina siccis
 Faucibus ad limum radijs tepefacta coquentur?
 An non Septembri, frigidus imber

De restitutione anni

Altius ad viuum persistet & horrida cano.

Bruma gelu?

Contra lunio neqz calidus neqz frigidus
erit aer, sed prope æqualis, &

Libra. diei somniqz pares tum fecerit horas,

Et medium luci atqz umbræ tum diuidet orbe?

Atqui si tanta repugnantia et discordia est,

cum singuli tres menses ad tres singulos

retrocedunt, quid si pro Martio September,

pro Iunio December, deniqz si pro reliquis

mensibus contrarij succedant.

De difficultate corrigendi anni

tum autem Lunaris cur

sus C. 2.

Multa concurrunt simul, cur tandem agita

ta questio de anno corrigendo motuqz Lu

nae exæquando, non potuerit hactenus finem

inuenire. Primum anni mensura, quam, ut

Varij sunt auctores, qui disputant de ea, ita va-
 rijs finibus circumscribunt: deinde, si annum
 sequamur a Casare institutum (ut quidem
 sequimur, est namq; omnium certissimus)
 dissensio inter hunc ipsum & conversionem
 Solis: tum discrepantia inter motus Solis &
 Lunae: quorum alteri si consulas, oportet, al-
 terum negigas: postremo ratio tabularum,
 quibus descripti sunt motus caelestes, quibusq;
 series anni numeri ac circuli Solaris contine-
 tur. Hae causae tam difficiles tamq; contra-
 riae sibi ipsi effecere, ut cum hoc negotium
 fuerit deliberatum iandiu a summis pontifi-
 cibus, atq; a peritissimis astronomis tenta-
 tum, nondum sit tamen absolutum. Nam
 vno vulnere sanato recrudescunt alia, &
 quasi amputato Hydrae capite multa pulul-

Labant: ita ut dubia & anceps videretur omnis
medicina. Sed venit tempus, quo aliter ex
stimandum sit. Gregorius enim decimus ter
tius, qui providentiae dono videtur ad Pon
tificatum ascendisse, ut turbulentissimis tem
poribus Christianam Remp. gubernaret, mi
nimè deterritus ijs difficultatibus, totam hanc
provinciam suscepit, dignam nomine suo, atq3
officio vigilantissimi pastoris. In qua, cum Ita
luerit mouere omnem lapidem, certa spes est
eum voti compotem futurum. cuius enim du
bitet tum singulari prudentiae, summae integra
ti, admirabili sanctimoniae tanti Pontificis, tum
Labori & diligentiae doctissimorum hominum,
quos consuluit in hac re, adesse diuinum nu
men!

Cur posterior Conuersio Solis

anteuertat priorem.

12

c. 3.

Tanta est Varietas in motibus coelestibus, tanta discrepantia, ut nunquam possint cohaerere inter se neqz alij alijs congruere. Itaqz vocati sunt ἀπρητοι à Graecis, à mathematicis autem surdi. Nullis enim numeris ita comprehenduntur, quin aliquid semper relinquantur numerandum. Hac de causa nullus inuentus est annus, quanquam in eo inueniendo tum veteres tum iuniores se vehementer fatigarint, qui solis cursum pernitus exaerant. Neqz enim ipse annus, quo utimur, qui est maximè omnium probatus, omnino aequat motum solis, cum sui maior 10 min. 16 sec. Cogimur enim uti his vocabulis, quoniam sunt propria artis astronomiae.

Sanè si ratio vite atq; vsus paterentur, vt annus constaret diebus 365 horis .5. min. 50 sec. 44, quo spatio temporis peragratio signi fieri continetur, nihil dubij, quin eo transacto, sol non solú eodem die atq; eadem hora, sed planè eodem momento sequentem conuersionem inchoaret. Nunc vero cum non possit ille non constare integris diebus, et vel excedere motum solis, vel ab eo excedi, actum ager, quisquis in ijs exaquadis laborauerit, præsertim cum neq; Aegyptij, neq; Chaldaei, neq; Graeci, neq; Romani, qui omnium maximè nationum mathematicis studijs atq; artibus floruerent, in ea re quicquam fuerint consequuti. Legitur illud tempus, quo annus superat circuitum solis, quanquam ipsum per se exiguum tamen ali

ad alij adiectum eò processu temporum lon-
ginitate, ut decem dies anteuertatur ea con-
uersio solis, quae fuit tempore Concilij Nicae-
ni. Cuius rei haec est causa. Duae res, quae
prius fuerant sociatae, si disiungantur a se,
id accidit, vel quia vna discedit ab altera,
vel quia ambae a se inuicem. Ergo quòd
sol anteueniat vnoquoq; anno priorem circu-
itionem, non fit, quia velocius mouetur (Vol-
uitur enim semper motu vni formi) sed quia
dies aequinoctij recessit ab illo: recessit autem,
quia annus est longior, quam sit illius cursus
Nam cum annus intercalaris non compleat
366 dies (deficiunt enim circiter 43 min.)
necesse est, ut dies aequinoctij quarto quoq;
anno progrediatur totidem min., totidemq; sol
regrediatur. Ex his vero min. alijs super aha
congestis tandem efficitur, ut sol non modò

De restitutione anni

fals.

Vnum diem, sed multo retrocedat. Retrocedit enim singulis 134 annis diem vnum. Non quod re ipsa retrocedat (absit enim) sed quod retrocedere videatur. Usus tamen obtinuit loquendi, ut solem dicamus retrocedere, cum volumus significare, eum præcurrere conuersioni sue. Quare, si computentur anni in 323 post Natalem Domini, profecto inueniemus solem dies decem esse retrogressum.

Cur Luna circuitus constans

19 annis semper anteaue

riat præcedentem. c. 4.

Vt anni longitudini imputatur, quod sol perpetuo retrocedat, quemadmodum diximus, sic 19 annis solaribus, quia superant totidem lunares, tribuitur, quod luna semper anteaueat priorem circuitionem hora 1. min. 28

sec 3. qua summa temporis collecta annis
310. mensibus 8. diebus 18 horis 16, consen-
taneum est, ut praeueniat die vno. Ergitur
subducta ratione annorum a 323 post
Christum natum, plane constabit causa, cur
Luna dies quatuor atque amplius recesserit a
die, quo tunc erat, cuius aureus numerus, qui
tunc est affixus tabulis diariis falsus de-
prehendatur. Nam quod aliquando Luna re-
gressam videamus ultra quinque dies, aliquan-
do subsistentem citra quatuor, iure est, quia
non placuit illis viris illi duos numeros appo-
nere eidem diei. Quare aut supra aut infra
sine vlla distinctione alterum locauerunt. Acci-
dit, quod interdum quasdam horas omiserunt. De-
nique quod non valde curarunt, temporis mi-
nutas usque ad vnum rescire. quod tamen

De restitutione anni

fuisse curandum, erroris inde sequenti atq; experientia comprobantur.

De ratione restituendi anni

c. 5.

Ostendimus supra, quia non conveniret annus cum solaris cursu, decem dies accrevisse ab anno 323 usq; ad ista tempora, simul et quot incommoditates inde, cum ad res humanas, tum ad divinas pervenirent. Igitur quod melius remedium possimus invenire, quam, si eorundem dies resocemus. Hinc mirum quod in corpore humano, idem in alijs rebus contingit. Ut enim, quae in illo redundans, detrahuntur, quae desunt, adiciuntur, si illud debeat incolumi sui sanitate, sic in alijs rebus est quaedam mensura c.

equalitas, ultra quam citius nequeant consistere, si debeant esse perfecta atque absolute
 Non, In sua sese per vertigia labitur annus,
 nec iure sibi vendicat nomen anni, qui cursu
 solari est maior. Huic enim semper debet esse equalis. Erit itaque, quam potest
 maxime, si illi decem dies, qui sunt additi
 eximantur. Ceterum cum possint eximi, aut
 spatio unius anni, aut quadraginta, et rursus,
 aut spatio unius mensis, aut plurimum, videndum nobis est, qua facilior et commo-
 dior sit ratio. Putant aliqui, non vulgarem
 turbationem factorum ac negotiorum fore,
 si statim ac simul tot diebus, quot erravi-
 mus, annum unum minorem faciamus, mi-
 nusque incommodi provenire, si diei interca

De restitutione anni

Latio tot annis dimittatur, quot sufficiant illis diebus auferendis. quod quidem partim probatur mihi, partim non probatur. Nam si tollamus decem dies ex vno mense, sanè id molestum erit, causâq; multarum turbationum, cum in toto anno, tum in mense, in quo id fiat: pacta vero è contractus ac publica negotia, nemo est, qui non videat, quàm magna incommoditates consequantur. Sin ex quadraginta annis adimimus eorundem dies, toto eo tempore, nimirum longo è prolixo, in graues ac difficiles nodos incidemus, alios ex alijs connexos. Præterea, si omnium philosophorum placitis receptum est, frustra fieri pluribus, quod æque potest fieri paucioribus,

cui frustra non fiet longiori tempore, quod
potest tam commode fieri breviori. Ergo
praestat incedere media quadam via: eum
laborem non quidem totum adire uno men-
se, neque in quadraginta annos prorogare, sed
partiri in paucos quosdam menses. Princi-
pio enim reserui is diebus ab uno anno,
ac ne hoc quidem toto, sed à quadam eius
parte, nec tolluntur fasti, nec desinunt cele-
brari more solito. quod vero attinet ad publi-
ca negotia, tam parum inde incommodi re-
sultat, ut nihili debeat aestimari. Cur enim
formidetur damnum, quod tanto maioribus com-
moditatibus pensatur? Accedit, quod satius
est libros ephemeridum atque omnes, qui tractant
de ratione temporum motuumque Solis et Lu-

De restitutione anni

nae sequentiumq; astrorum semel corrigi, e' cor-
rectos in publicum exire, quam intervallas qua-
draginta annorum saepe quasiq; eandem cran-
bam iterum atq; iterum recoqui. Est enim
superuacuum e' fastidiosum, relinquere quod
emendes, cum statim possis emendare. Hanc
viam sequutus ex quinque mensibus abstuli de-
cem dies, ex ijs scilicet, ex quibus accideret mi-
nus turbationis. Incepimus autem a Iunio: a
quo quidem, sicuti a Iulio, Augusto, e' No-
uembri, ab unoquoq; duos dies exemimus: a
Septembri unum, ab Octobri item unum. quod
fuit necesse, vt littera Dominice. Variaretur.
Cum ipsis vero diebus litteras suas abstulimus,
ne otiosae remanerent. quae autem succedunt
pro Dominice, eas extra ordinem collocauimus.

At enim si ex primis sex mensibus eos dies
 sustulissetem, festa, quae vocantur mobilia, neq;
 pristino more procederent, neq; eo, qui debet
 in posterum servari. Itaq; satius duxi eos
 menses integros atq; intactos relinquere. De
 cembrem vero tum propter aduentum & Na
 talem Domini, tum propter multos dies fe
 stos, qui eo mense incidunt, tum etiam, quo
 niam oportebat, eius novilunij plenilunia se
 quentis Ianuarij respondere, immunem feci
 ab omni turbatione. Detraxi autem eos di
 es, qui non essent festi, quiq; essent postre
 mi, aut vicini postremis. Sic enim tam
 menses, quam dies festi minus variantur. Ea
 autem causa annum 1582 emendavi, & a

De restitutione anni

1583 Solis conuersiones caepi numerare, eumq;
annum, Veluti caput atq; , vt astronomi loquun-
tur, radicem constitui futurorum temporum,
quoniam cum Solis Lunaeq; restitutio ad omnes
pertineat nationes, atq; Vniuersum orbem, oportet
vt Commune negotium Communi tempore
inciperet, id est, eo, quo haec restitutio omnibus
tam necessaria, tam optata, omnibus posset in-
notescere. Ad quam rem non minus tempo-
ris requiritur, quam quod intericitur hinc
vsq; ad annos 1583. Sed non satis est
annum corrigere, nisi correctum omni aeo
conseruemus. Alioquin haerebimus in eisdem
salebris ac multo etiam maioribus. Conserua-
bitur vero eadem ratione, qua fuit restitutus.

Nempe si Vnoquoq3 anno centesimo trigesimo
quarto auferatur ille dies, qui erat interca
landus. Verum quia raro futurum est,
ut is annus sit intercalaris, tum autem, quia
si dies eximatur ab anno precedente aut
consequente, iam omnis ratio intercalandi
est perplexa & confusa, procedens per mi
nutias quasdam & fracturas numerorum,
satius est, ut a centesimo quoq3 exima
tur. Est enim hic annus semper interca
laris, tum etiam nobilis & insignis. Trigin
ta quatuor annos, qui supersunt, reuicimus in
centum proximos. Itaq3 ultra ducentos re
dundant 68. Atq3 eodem modo his ad terti
um centenarium reiectis accrescunt centum &
duo. Ex quo fit, ut quartus centenarius in

De restitutione anni

tercalatur: nam cum tercentum annis iam de-
scriptis complet tres circuitiones. Desunt ad-
huc duo anni: nam ter 134 efficiunt 402
Illi tamen non adiciuntur quadringenti,
neque computantur usque ad annos 5200,
quando quidem pro eisdem substituuntur octo
decim illi, qui incipiunt anno 1583. fini-
untur autem 1600. Hi iam consumpti,
singuli duo anni debent colligi usque ad de-
cem actum quidem tabulae ^{apponi} ut postea mon-
strabimus. Is vero modus servatur in per-
petuum. Quapropter anni 7100 non sub-
sequuntur 7200 sed 7210. Atque haec qui-
dem est ratio restituendi anni.

De modo restituenda Luna atque
aureo numero monstranda.

Omnes res, quas caeli ambitus complectitur, ac propterea dicuntur inferiores, superiorum motibus gubernantur, praesertim solis & Lunae. Illius enim magnitudo huius autem vicina, quam habet cum terris plurimum in ijs dominatur. Hinc tantus est consensus eorum, tanta concordia, ut communi quodam foedere socientur ad moderationem orbis. Menses enim, dies, horae, ex quibus constant anni, secula, omne enim, ad solem quidem praecipue, tum autem ad Lunam referuntur. Sine illi vero neque vita animantium, neque ista inferiora esse possunt. Igitur oportet motus solis & Lunae non solum indagare, & percipere, sed etiam dimetri: oportet quoque tempora, quoad fieri potest, utriusque motibus respondere. Quamvis equinoctia & solstitia

De restitutione anni

perpetuo sint in suis locis, quantum sequantur
anni legitimum solis cursum, æqualem atq;
ordinatum, si tamen Luna motus, quanquã
differens non dirigatur ad eum ipsu' cursum,
propemodum ratio temporum subuertetur.
Itaq; correcto anno e' aptato ad motum
solis, reliquu' est, ut Lunam aureuinq; nu-
merum restituamus. Igitur hic cum retro
cedere debuisset, quia retrogressa est Luna,
deinceps tamen postponetur, quia sublati
sunt ab anno decem dies. Hinc est quod no-
uillunia e' plenilunia statuerimus ultra.
eos dies, quibus olim fuerant, quodq; ea, que
accidebant in ultima parte mensis, reice-
rimus in mensam proximum. Cæterum
plenilunia ideo etiam apposuimus, atq; au-
reo numero signauimus, quoniam multum
operæ pretij est cognoscere, cum ad usus ho-

minum, tum ad res diuinas. Nec vero sumus
 contenti diebus tantum, sed horis quoque et
 minutis definire. Definimus autem ad
 meridianum Nysiponis: in qua urbe maxi-
 ma clarissimaque omnium, penè dixerim que
 orbe terrarum continentur, scripsimus hunc
 Libellum. Pro locorum autem Varietate mi-
 nuta atque horæ variantur. Diem vero in-
 choauimus more a Trologico à meridie.
 Porro, quia frequenter usu venit, ut duo
